



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

275. An quando decimæ nomine feudi fuerunt Principibus, vel aliis  
sæcularibus collatæ, earum exactio, & lites pertineant ad iudicem  
Ecclesiasticum? Et quid circa hoc in aliis quatuor casibus in fine ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

2. Mihi verò magis placet opinio Azorij *part. 1. lib. 7. c. 36. q. 6.* asserentis, hanc causam solum coram Iudice Ecclesiastico tractandam esse: quia ortum habet ex iure decimarum quod ius ecclesiasticum, ac spirituale est; non autem civile, & profanum: sententiam tamen Germonij quam etiam sequitur Monnet. *de decimis. q. 8. c. 1. n. 17.* est probabilis: opinionem verò Couarruias minimè sequendam esse existimo.

## RESOL. CCLXXIV.

*An quando decima sunt secularibus in feudum data, cognitio pertineat ad iudicem secularem?*

*Et an hac cognitio decimarum sit causa mixti fori, ita ut non solum iudex laicus, sed etiam Ecclesiasticus possit causam definire?* Ex *part. 1. tract. 2. Ref. 91.* alias 90.

Supr. hoc in Ref. seq. & infra in Ref. 279. §. Tertia causa.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Couarruias *practico. 99. cap. 35. num. 2.* Rebuffus *tract. de decimis quest. 10. num. 39.* & alij penes ipsos.

2. Sed meritò supradictam sententiam refellit Azorius *p. 1. lib. 7. cap. 26. quest. 3.* Facundez *Præcept. 5. lib. 3. cap. 5. n. 5.* & alij penes ipsos. Et ratio est: quia feudum ipsum adhuc ex iure decimarum oritur, quod est Ecclesiasticum: neque privilegium percipiendi decimas extendi debet ad cognitionem causæ, nisi id exprimitur. Ad autoritatè verò Couarruias & Rebuffi, respondeo cum Suarez *de relig. tom. 1. lib. 1. de diuino cultu. c. 38. n. 16.* illos, & alios, quos ipsi referunt, esse cautè legendos: quia plus, quam oportet, inclinant in fauorem secularium Principum.

3. Notandum est tamen cum Moneta *de decimis. c. 8. q. 1. n. 15. circa finem*, quòd si opinio Couarruias, & aliorum esset vera; tamen adhuc posset non solum laicus, sed etiam Iudex Ecclesiasticus decimarum causam definire: quia non censetur Summus Pontifex, aut Ecclesia, ius decimandi laicis concedentes, eiusdem iuris cognitionem, aliàs sibi de iure competentem, nisi aliud in contrarium appareat, à se in dubio abdicare voluisse: Esset igitur in tali casu cognitio decimarum, causa mixti fori: quod ego non approbo: quia, ut diximus, talis cognitio spectat solum ad Iudicem Ecclesiasticum, modo, quo *suprà.*

## RESOL. CCLXXV.

*An quando decima nomine feudi fuerunt Principibus, vel aliis secularibus collata, earum exactio, & lites pertineant ad iudicem Ecclesiasticum?*

*Et quid circa hoc in aliis quatuor casibus in fine huius Resolutionis decisus?* Ex *part. 3. tr. 1. Ref. 50.*

§. 1. **A**d iudicem laicum spectare tenuerunt Ioannes Rupel *lib. 1. forens. instit. c. 25.* Guilielmus de Benedict. *ad cap. Raynuius, de testam. verb. si absque.* Callaneus *in cons. Burgund. §. 6. n. 350.* & Couarr. *practico. 99. c. 35. num. 2.*

Quæ hic est Ref. antecessa in Refol. 279. cursum in §. Tertia causa.

2. Sed hanc sententiam ego impugnaui in alio *tract. de immu. eccl. resol. 91.* & nunc iterum impugno; quia licet decimæ sint in feudum datae, nihilominus ipsum feudum ex iure decimarum oritur, sed ius decimarum Ecclesiasticum est. Ergo &c. Concedo tamen prædictis Doctoribus, quòd si decimæ autoritate Romani Pontificis in Principes trāsatae sunt contractu permutationis; videlicet qua ipsi Principes eas realia, vel maioris æstimationis, vel pretij, & utilitatis vel æqualis compensant, in hoc, inquam, casu, causa decimarum spectat ad iudicem laicum; quia ratione

permutationis legitimæ factæ, Principi debentur decimæ, & Ecclesia suum ius integrum retinet in re, cum qua decimam permutauit, & separat in quam fuit decima subrogata. Et hæc omnia docet Raphaël de la Torre *in 2. 2. D. Thom. tom. 2. q. 87. disp. 8. n. 4.* vbi etiam *n. 5.* negat causam decimarum spectare ad iudicem laicum in his casibus. Primò, quando laici coguntur à clericis soluere decimas contra præscriptionem; vel consuetudinem, cuius initium non extat, Secundò, quando quæstio est facti, non iuris, puta an Petrus soluerit decimas debitas, vel non; sitne soluenda potius à Petro, quam à Paulo, etiam quando agitur contra quempiam propter decimas furto sublatas, vel recentas. Tertiò, quando laicus conductor decimæ init cum clerico pactum, ut coram ciuili iudice conueniri possit. Quarto, quando causa agitur contra laicos fures de fructibus decimæ soluendis, reddendis, non de ipso decimarum iure seruando, & & tuendo. Et in his etiam casibus causam decimarum contra Couarruiam spectare ad iudicem Ecclesiasticum tenet etiam nouissimè Adamus Tannerus *in 2. 2. D. Thom. disp. 5. q. 3. dub. 2. n. 40.*

Supr. hoc in Ref. seq. & in alia eius not.

## RESOL. CCLXXVI.

*An iudex laicus possit cognoscere de causis decimarum, si Clerici illas petant à laicis, qui præscriptione, & consuetudine immemorabili eas nunquam soliti sunt persolvere?* Ex *part. 1. tract. 2. Ref. 92.* alias 91.

§. 1. **A**liqui affirmatiuè respondent, vnde asserunt, in tali casu licet ipsos laicos causam istius litis ad forum seculare deducere: & ita docet Couarr. *practico. 99. cap. 35. num. 2. var. resol. lib. 1. c. 17. num. 19.* & alij.

2. Sed negatiuam sententiam prorsus affirmandam esse censo cum Facundez *Præcept. 5. lib. 2. cap. 5. num. 8.* Azorio *part. 1. lib. 7. cap. 36. quest. 4.* & aliis, Quòd si aliqui Principes sententiam Couarruias in praxi obseruant, dicendum est, illos hoc efficere ex aliquo privilegio Summorum Pontificum. Sed an reuerà ita sit, ipsi videant.

Supr. hoc in Ref. præcedente §. Sed in med. contin. in vers. h. mo. & lo. pra. in Ref. 279. etiam h. uiter post med. & in Refol. 279. §. 2.

## RESOL. CCLXXVII.

*An colonus laicus Religiosorum pro sua portione colonica teneatur soluere decimas?*

*Et quid dicendum est de privilegio exemptionis decimarum concessio Societati I. X. S. V. à Gregor. XIII. de quo gaudet nostra Religio?*

*Et aduertitur, quod si in aliqua Prouincia Moniales, Regulares, & eorum coloni soluant decimas, hoc forsitan eueniet, quia Episcopi obtinuerunt aliquod Breue Pontificum reuocatorium dictorum privilegiorum secus minime tenentur?* Ex *part. 3. tractat. 1. Refol. 23.*

§. 1. **S**uprà dictum est de gabellis, nunc dicemus de decimis. Affirmatiuam sententiam notat Tamburinus *de iure Abbasum, tom. 1. disp. 15. qu. 18. num. 3. 2.* docere Rotam in vna Placentina 17. Decembris 1584. coram Blanchetto, quam decisionem refert, & sequitur Seraphinus *decis. 127. n. 2.* Idem dictum est ab eadem Rota in vna Pampilonen. 15. Decembris 1615. coram Coccino. Et ratio est, quia privilegia exemptionis à solutione decimarum sunt personalia, non autem realia. Ergo non transeunt ad colonos, vel arendatarios.

2. Sed contrariam sententiam ego teneo cum docto

Supr. in Ref. quæ hic est 269. Sed supra prima decisio citat in Ref. sig. 7. tra. 1. Ref. 250.